





DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> JVRIDICA III.  
IN AVGVRALIS 21  
*DE* 1706 7.

# VIGILANTIA CREDITORVM,

PRÆSIDE <sup>QVAM</sup> SOLO DEO,  
AVCTORITATE ET DECRETO  
*INCLYTÆ*

FACVLTATIS JVRIDICÆ  
*IN*

ALMA NORICORVM ALTDORFINA,

**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQVE JVRE  
HONORES ET PRIVILEGIA DOCTO-  
RALIA LEGITIME ADSVMENDI,

*ad diem 10. Decembr. Anno M DCCVI.*

H. L. Q. C.

PUBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI  
*SVBJICIT*

MARTINVS GODOFREDVS  
MOGK,  
Saxo-Gothanus.

Excudebat HENRICVS MEYER, Universitatis Typographus.

DISTRIBUTIO JURIDICA  
INAGARALIS

30

VIGILANTIA  
CREDITORUM

PRESIDE SOLO DEO  
AC TOTI STATE ET DECRETO

INCIPIT  
RACTATIS JURIDICE

ALIA NORCORUM ALIORUM  
ALIA NORCORUM ALIORUM

PRO VIGENTIA

SUMMOS IN VIGORE JURE  
HONORES ET PUNITIVI DOCIO.

ETATV REGIMEN ADSAMENDI  
AD 3000 DECEAS

H. I. G.

LAWCE ERNATORVM DYNASTIA  
SAPICIA

MARTINUS GODFREDS  
MOEG

Saxo-Germanus

BRUNA, SIBYLLE, GERMANY, MUSEUMS, LIBRARIES



# DE VIGILANTIA CREDITORVM.

## INGRESSVS.

Peræ pretium haud existimo derivationi vigilantiae creditorum etymologicæ , ejusque utilitati exponendæ immorari ; cum illa cuique notissima sit, hæc autem, si negligatur, ei , cuī incumbit, satis innotescat : Vox vero creditorum ita trita ubivis ac notoria sit, ut eandem enodare velle quadam definitione nominali, non modo foret negotium inane, sed & idem, ac si quis luci lucem addere auderet. Quare omittens hujusmodi frustaneam operam , saltim *vigilantia creditorum* sequentem realem delineationem præmitto : Quod sit circumscriptio ea, qua creditores sibi de crediti sui tam securitate, quam exactione magis magisq; consulunt. Præmissa hæc descriptio sicuti quadamtenus argumentum tradendum arguit: ira quoque exinde promanat, quod præsentis Dissertationis duplex membrum sit, quorum prius securitatem quoad obligationem, alterum exactionem creditorum respicit.



A 2 MEM-

## MEMBRVM PRIVS,

*indicans vigilantiam, ad securitatem aliqualem creditorum tendentem.*

## §. I.

**Q**uod ad primum hocce Dissertationis meæ membrum attinet, nempe vigilantiam creditorum quod eorumdem securitatem; statim in ipsa obligatione inducenda ac formanda maxime cavendum ipsis creditoribus, ne pecuniam vel res suas sine testibus exhibitis credant debitoribus suis, licet in securitatem crediti chirographum ab eisdem receperint: nam constat ex L. 3. C. de Non numer. Pecun. & L. 14. C. eod. quod debitores habeant intra biennium regulariter querelam vel exceptionem N. N. P. Hæc si actioni a creditoribus intra biennium ex chirographo motæ opponitur, eum præcipuum effectum habet; ut numeratio, quam se fecisse dicunt creditores, probanda veniat. L. 3. C. de N. N. P. Carpzov. P. 1. Consł. 32. def. 66. n. 1. Ad hanc ipsam probationem defungendam non sufficiunt chirographa antea a debitoribus accepta, sed alia ratione eadem fieri deberet, nimirum vel per juramentum, vel per testes, vel etiam per instrumenta, sive judicialiter, sive extra judicium e. g. per Notarium conscripta, arg. Avth. Contra. C. de N. N. P. Brunnenm. ad L. 3. C. hoc ist. Bachov. ad Treutl. Vol. 1. Disp. 20, th. 2. lit. C. verb. Adeo, ut ne statuto quidem. Lauterb. tract. synopt. Part. 3. Libr. 12. tit. 1. §. 3. n. 14. & 21. Quod si ergo creditores dicto modo de probatione alia, & quidem memorata, in securitatem creditorum suorum sibi non vigilaverint, & sic postea probatione isthac destituantur, debitores, si hæc querela per modum exceptionis fuerit opposita, definitive absolvuntur, Sichard. ad L. 3. §. 1. C. de N. N. P. ibique Barbos. n. 1. & insuper creditors condemnantur, ut cautiones & pignora eo nomine accepta

pta restituere cogantur. L. 1. C. eod. L. 1. ff. de Condit. fin.  
caus. Nec eosdem juvat maxime in concursu creditorum ad  
probandum numerationem confessio ipsorum debitorum  
principalium; siquidem haec non magis valet in præjudicium  
aliorum creditorum, per L. 15. C. de N. N. P. ibique Barbos. &  
Brunnem. quam confessio eorundem in præjudicium fidejus-  
sorum quidquam operatur. L. 15. pr. ff. de Fidejussorib. Ut ita  
vigilantia statim circa creditum contrahendum, ex dictis facit  
aperta ac clara existat eorum, qui sibi de sufficienti probatio-  
ne in hunc eventum facienda prospexerint.

S. II.

Non minus invigilandum quoque est creditoribus, ut par-  
tim in confectione cautionis sive obligationis sibi extradend  
æ current causam debendi exprimi, partim ne indiscre-  
te vel indeterminate cautio sive obligatio concepiatur; nam  
alioqui in casu negati a debitore crediti, ista cautio nihil pro-  
bat, sed alia probatio creditori adserenti producenda injungi-  
tur, per L. 25. s. f. ff. de Probation. & c. 14 X. de fide instrum.  
Si enim de causa debiti ex instrumento vel obligatione non  
adpareat, in effectu nihil probatum censetur, etiam si stipula-  
tio intervenierit, & desuper instrumentum quoddam conse-  
tum fuerit, L. 13. ff. de N. N. P. L. ult. ibi: si causa liquida sit,  
C. de Compensat. Gail. 2 Obs. 13. n. 9. Coler. de Processib. execut.  
P. 3. c. 1. n. 7. seq. Schneidew. ad Inst. tit. de Liter. obligat. n. 14.  
Neq; enim potest consistere debitum vel obligatio absque causa  
debendi, utpote cui semper obstat exceptio doli, L. 2. §. circa 3.  
vers. Si quæ sine causa ab aliquo fuerit stipulatus, ff. dedol. mal. &  
met. except. cum paria sint causam nullam subesse, & quæ est, eam  
non exprimere, vel ignorare, arg. L. 6. ff. de Calumn. l. pen. §. fin.  
ff. de vacat. & excus. mun. Unde quoque Carpz. P. 1. C. 17. def. 39.  
hanc in rem judicatum refert: Ob ihr nun wohl zu Behauptung  
derselben Schuld eine Obligation produciret / darinnen Jacob  
Seels

Seelnic h sich zur Zahlung anerbethen; dieweiln aber darbey keine Causa debendi zu finden/ so mag auch solche Obligation vorrichtig nicht gehalten / noch dadurch obberthire Schuld / wie zurecht erwiesen / und den Seelnic hischen Erben die Zahlung zu leisten beständiger Weise auferlegt werden. B. M. W. Hæc cause expressio adeo necessaria est, ut nec in instrumento guardati, nec in cautione inter mercatores exhibenda, omitti debeat, Pacian. de Probation. Libr. 1. c. 63. n. 22. Finckelthul. Obs. 29. n. 14. Brunnem. ad L. 25. §. ult. ff. de Probation. n. 11. ubi tamen hanc doctrinam de omissione causæ limitat, nisi forte illa ipsa possit per conjecturas elici; quomodo memorat Carpz. cit. loc. sufficere, si in obligatione mentio acceptæ pecuniae, des empfangenen Geldes oder vergnügten Werths, sive valutæ, (ut sit in literis cambialibus,) sit injecta; vel nisi confessio debiti absque causa judicialiter fuerit facta, qua ob præsentiam & auctoritatem magistratus, erroris & dolii suspicionem excludit, Felin. in cap. Si cautio. 14. Y. de Fide instrument. Brunnem. cit. loc. & ad L. 40. ff. de Pact. n. 1. Carpzov. dict. C. 17. def. 40. E quibus denuo patescit, quod creditores, expressionem causæ debendi in cautionibus haud curantes, si deficiant in probatione causæ a debitoribus negatae, damnum, quod exinde sentiunt, sicut sua culpa incurront; ita haud sentire censeantur, L. 203. ff. de R. J. cum sibi impunitare debeant, quod sibi meti ipsi circa expressionem causæ debendi in instrumento obligationis non magis vigilaverint, arg. L. 24. ff. Quæ in fraud. creditor.

## §. III.

Pariter creditoribus hæc cautela prodest, ut sibi propisci-  
ant de hypotheca; siquidem in hac plus cautionis, quam in  
obligatione personæ revera ineft, L. 25. ff. de Reg. Jur. L. 16.  
C. de Pignorib. & hypothec. L. 10. C. de Remiss. pignor. &, quod  
hanc ipsam concernit, magis ipsis etiam consultetur hypotheca  
judicialiter & publice constituta, quam privata; illa enim in  
con-

concursu aliorum hypothecariorum creditorum præfertur  
 non publicæ, L. 11. C. qui potior. in pignor. quamvis tempore  
 priori, Covarruv. Pract. quæst. c. 2. n. 1. & 5. vers. Potuit. Quod  
 notabili Responso confirmavit inclita Facultas Jurid. Helm-  
 stadt. ut videre est apud Hahn. ad Wesenb. h. t. n. 2. p. 11. fac. 1.  
 Hunc effectum publicæ hypothecæ merito quoq; tribuendum  
 censeo illi, quæ virorum probatæ ac integræ opinionis, trium  
 vel plurium, subscriptione confirmatur, d. l. 11. seq. Auth. Si quis.  
 ibi: Si quis vult caute deponere, non soli credat accipientis scriptu-  
 ra, sed advocet etiam testes idoneos & fide dignos, non pauciores  
 tribus, C. Qui potior. in pign. Etsi autem uxor alioquin de Jure  
 Civ. ratione dotis in bonis mariti tacitam hypothecam ha-  
 beat, aliis creditoribus anteferendam, L. 12. §. 1. C. Qui potior,  
 in pignor. ibi: contra omnes creditores, licet anterioris sint temporis  
 privilegio vallati, L. 30. C. de Jur. dot. ibi: Omnem habere pra-  
 rogativam jubemus, & neminem creditorum mariti, quæ anterio-  
 res sunt &c. Attamen in illis locis, ubi uxoris tacita hypotheca  
 ratione dotis aliis hypothecariis, anteriorem expressam haben-  
 bus, haud præfertur, ut in Saxonia, Cons. Elect. Sax. P. 1. Cons. 21.  
 & Ducatu Würtembergensi, Würt. Land. N. P. 1. t. 75. §. Es sollen  
 auch die Frauen/ &c alibi passim, utique præsens vigilancia sibi  
 de expressa & judiciali hypotheca prospiciendi in pactis dotali-  
 bus, mulieribus quoq; proderit. Nec obserit L. 1. & 2. C. Ne fide-  
 juss. dot. dent. præterquam enim quod illæ constitutiones alio-  
 quin nonnullas admittant limitationes, conf. Perez. ad eund.  
 tit. n. 4. & 5. Wissenbach. ad L. 29. Cod. de Jur. dot.; ista pro-  
 hibitio saltim pertinet ad cautionem fidejussionis, non au-  
 tem ad hypothecam & arctiorem oppignorationem, quæ non  
 prohibetur, L. 7. §. 6. ff. de Donat. inter vir. & uxor. cum hæc  
 non tam grayet mariti opinionem, quam dare fidejussionem.  
 Etenim dato pignore res uxoria tantum ponitur in tuto, non  
 etiam committitur fidei alterius personæ, quam mariti ipsius;  
 ac fidejusso obtinet locum debitoris; pignus, rel. debitæ; cum  
 quæ-

quæritur fidejussor, dubitatur de mariti fide, quod ignominiosum est; non idem sit, si pignus exigatur, quod est loco rei uxoriae, arg. §. 29. Inst. de Act. L. 12. C. qui potior in pign. Præterea rei dotalis hypothecatio ab ipsa Lege adprobata conspicitur, non æque fidejussio, tot. tit. Cod. Ne fidejuss. dot. dent. Parvili vigilancia uxori necessaria quoque est ratione donationis propter nuptias ut sibi scil. expresse de hypotheca in Electoratu Saxon. prospiciat, nisi velit inter simplices creditores locari, Carpzov. P. 2. C. 24. def. 6. Ut ut enim feminæ de Jure Civili ob donationem propter nuptias gaudeant hypotheca, L. 12. §. 24. C. Qui potior in pignor. nihil rāmensecius in Electoratu Saxon. ideo ipsis denegata conspicitur hypotheca, me lucrum quærentes, de damno vitando certantibus præferantur, Carpzov. Libr. IV. tit. 3. Respons. 26. n. 11. Richter. de Jure & privileg. credit. c. 3. Seet. 1. n. 120. secundum quem in foro Saxon. communii post simplices creditores sibi de expressa hypotheca non prospicientes collocantur.

§. 17.

Num vero ad vigilaniam creditorum pertineat, ut liba potius de hypotheca speciali quam generali prospiciant, hic simul disquirendum. Nonnulli, qui utriusque hypothecæ commoda & incomoda expendunt, perspicentes, quod generali hypothecam habentes, omnia bona, præsentia & futura, sibi obstricta teneant, L. f. Cod. Qua res pignor. oblig. poss. & eligere possint qualecumque rem, ac petere, ut in eam fiat executio, etiam si illa res alteri specialiter sit obligata, L. 2. pr. ff. Qui potior in pign. considerantes verosimil, quod vicissim speciali hypotheca gaudentes, in aliis bonis nullum jus confitetur, sed illa re perempta, vel ab aliis creditoribus consumta, in chirographariorum classem remittantur, Brunnem. de concurs. creditorum cap. 5. §. 66. consultius putant, si creditores & generalem & specialem hypothecam simul conjungi petant, ita, ut specialis hypotheca in illis rebus constituantur,

tur, quæ facilissimo negotio vendi possunt, hunc in modum: Bey  
 Verpfändung aller meiner Haab und Güther/ so ich demahlen habe  
 und besitze/ oder auch künftig erlangen möchte/ bewegliche und unbe-  
 wegliche/ auch außenstehende Schulden/ so viel darzu vonndhen; ins-  
 sonderheit meinen hier nechst an der Städte gelegenen Garten&c. Dn.  
 Scryk. de Cautel. Contr. Sect. 2. c. 4. §. 15. Nonnulli hypothecam  
 specialem rem magis adficere, & ad hoc prodesse existimant,  
 ut, si debitor postea istam rem distraxerit, creditori mox,  
 non excuso prius debitore, contra emtorem vel possessorem  
 pignoris detur actio ad rem repetendam, Nov. 112. c. 1. Carp-  
 zov. Dec. 12. n. 13. & Dec. 258. n. 2. quod ipsum aliter se ha-  
 bere putant in hypotheca generali, ubi non nisi excuso debi-  
 tore, contra possessorem rei generaliter obligata agere li-  
 ceat, Nov. 4. c. 2. Carpzov. P. 2. C. 18. def. 18. Cujac. libr. IX.  
 obs. 19. Verum enim vero & laudatorum modo Ddrum, con-  
 junctionem generalis & specialis hypothecæ suadentium, op-  
 nio suo incommodo aliqualiter laborare, & sententia eorum,  
 qui putant hypothecam specialem magis adficere rem, quam  
 generalem, non adeo satis firmo juris fundamento niti mihi  
 videtur. Nam, quod primo ad conjunctionem utriusque hy-  
 pothecæ attinet, ille creditor, qui tam generalem, quam spe-  
 cialem hypothecam habet, hoc incommodum adnexum ex-  
 peritur, quod postea non pro lubitu in qualicunque re debi-  
 toris executionem petere, sed præcise rei specialiter hypo-  
 thecatæ insistere debeat, antequam ad alias res deveniat: quia  
 tali casu hypotheca generalis tantummodo est subsidiaria,  
 L. 2. C. de Pignor. ibique Brunnem. Frantz. ad ff. Tit. qui po-  
 tior. in pignor. n. 36. Köppen. Dec. 4. n. 1. Carpzov. P. 2. C. 23.  
 def. 29. Unde hac conjunctione utriusque hypothecæ usuro  
 creditori vigilandum, ut sibi prospiciat in conjunctione hac  
 de jure variandi, hoc modo: Jedoch behalte ich mir frey und be-  
 vor / meine Special-hypothec hinwieder fahren zu lassen / und  
 mich an andre des Debitoris generaliter verschriebene Güter

nach Belieben zu halten / sicut monuit Illustr. Stryk. de Cautel. contract. Sect. 2. c. 24. n. 17. f. Quoad specialis hypothecæ efficaciam præ generali , quam Ddres communiter adserunt, vid. Negusant. de Pignor. & hypothec. §. 2. membr. 1. n. ult. Manticæ de tacit. & ambig. convent. l. 11. tit. 2. n. 12. sciendum omnino est , generalem hypothecam res singulas non minus, quam specialem, adficere, L. 15. §. 1. in f. ff. de Pignor. & hypoth. L. 17. C. de distract. pignor. ita, ut res etiam generaliter obligata, a debitore sine consensu creditoris alienata, transeat cum sua causa, & a quocumque possessore vindicari possit, L. 8. §. f. in f. C. de Secund. nupt. L. un. C. Rem alien. ger. L. 3 C. de Remiss. Pignor. L. 12. C. de distract. Pign. L. 15. C. de Pignorib. Bachov. Libr. 1. c. 5. n. 3 Neque quoad beneficium excussionis inter generalem & specialem hypothecam esse differentiam, late defendit Frantz. libr. 1. Resolut. 12. n. 11. seqq. nec talis ratione prælationis occurrit ; siquidem & generalis & specialis hypothecæ idem effectus, L. 2. ff. Qui potior. in pign. Bachov. de Pignor. c. 17. n. 6. Parum autem juvat Dissentientes ac contrarium evincere conantes Ddres , ab ipsis hanc in rem adduci solita Novella 112. c. 1. nam in hac non distinguitur inter generalem & specialem hypothecam, sed saltu de certo casu agitur, quo lis mota fuit de hypotheca speciali, ut ex verbis initialibus dicti cap. 1. adpareat : ubi beneficium excussionis ideo locum non habet, quia venditio istius hypothecæ, pendente lite, & emtori haud ignorantि, facta, ut adeo in hoc unico speciali & excepto casu, qui in cæteris firmat regulam, aliquid speciale sit statutum , Berger. in Resolut. ad Lauterb. Compend. Qu. 2. ut ut & hic in fine ibid. ab ista sententia abire, & communis Ddrum sententiæ denuo accedere videatur.

## §. V.

Quamquam & illis creditoribus, qui pecuniam ad ædificii refectionem dederunt mutuam, in ædificiis inde restitutis ratam hypothecam jura concederint, siveque eo ipso satis iisdem

dem prospexerint, L. 1. ff. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacit. contrah. id quod accuratiores recte ad pecuniam ob restitutio- mem sive redificationem ædificii collapsi, sive exusti, credi- tam restringunt, non vero ad novi exstructionem extendunt, utpote, quæ non ita favorabilis, ac restitutio dicta & conser- vatio, arg. L. 1. §. 13. ff. de novi oper. nunciat. L. 3. §. 15. ff. de itiner. actusq. priv. Vinn. Libr. 2. Quest. select. 4. Attamen utique sibi rectius vigilare illos creditores arbitror, qui ad alias res reficiendas aut conservandas pecuniam credentes, sibi de hypotheca, expressa conventione, prospiciunt, cum de Jure Civ. nullam tacitam ac privilegiatam hypothecam habeant, Vinn. cit. loc. Hahn. ad Wesenbec. Tit. ff. in quib. caus. pign. vel hypoth. n. 1. Perez. in Cod. Tit. in quib. caus. pign. tac. n. 13. Bachov. de pignor. Libr. 1. c. 12. n. 2. & ad Treutl. Vol. 2. Diff. 24. tb. 7. lit. (e). Plures equidem contrarium, etiam de Jure Civili, ad- struere conantur ex L. 5. & L. 6. ff. qui pot. in pign. & ex No- vell. 97. c. 3. Sed vix est, ut tale eorundem assertum exinde firmamentum capiat, cum textus hi, ut obstantes allegati, non de hypothecæ concessione & acquisitione, sed de hypothecariorum concurrentium prælatione agant, atque sic hypothecas præsupponant antecedenter constitutas, & quidem expressa conventione. Unde utique vigilantia creditoribus hæc suadenda, ut in casu, ad refectionem & conservationem aliarum rerum credendæ pecunia, sibi consulant expressa hypotheca, cum alioquin hac ipsa gaudere nequeant: deficiente enim speciali Legis dispositione, hypotheca tacita non est admit- tenda, L. 14. L. 15. ff. de LL. conf. L. 17. C. de Pignor. Hac ta- men vigilantia creditores non egent, si ipsis jam usu vel statu- to locorum hoc casu sit prospectum, ceu de Electoratu Saxon. testatur Ordin. Jud. sive Process. Tit. 43. §. Wann auch einer. Richter. de Jure & privileg. creditor. c. IIII. Sect. 3. num. I. seqq.

Pariter sibi optime vigilare mihi videntur illi creditores, qui constitutioni hypothecæ adjici curant clausulam constituti Possessorii hisce v.g. verbis: Gestalten ich dann zu mehrer Ver sicherung alle meine Güter cum clausula constituti possessorii verpfändet haben will; siquidem tale constitutum **civilem** & **naturale** possessionem in constitutarium, qui hoc casu creditor est, transfert, Mev. P. 5. Dec. 158. 160. & 352. huncque effectum habet, ut debitor in mora solvendi existens, propria bona a tempore istius moræ non amplius suo, sed creditoris nomine possideat: unde tali casu creditor remediis possessoriis uti, & mandatum manutenentia impetrare paret in hujusmodi bonis sibi hypothecatis, Mev. P. 5. Dec. 159. Ludov. Post. de Manutenen. Obs. 20. num. 13. & 14. quibus remediis retinendæ possessionis alius creditor hypothecarius destituitur, & saltim remedio adquirendæ possessionis, nempe interdicto Salviano, gaudet, tot. tit. ff. de Salvian. interdict. Invigilandum tamen simul est creditori constitutario, ne alium immitti in illa bona patiatur; alias enim, si præsens per triduum, absens vero per decennium taceat, possessio, quam vi illius constituti habebat, amissa censemur, Mev. P. 5. Dec. 159. & 160. n. 8. & 9. licet salvo recuperandæ possessionis remedio, L. f. C. de adquir. possess. Tali autem recuperationi possessionis non prius, quam 30. annis, præscribitur, sicut Ddres unanimi consensu tradunt, Menoch. Remed. 14. Recuper. possess. n. 68. Matth. de Afflict. Dec. 139. n. 5.

Non minus illi creditores sibi vigilant, qui hypothecam securitatis ergo, in instrumento guarantigato, hunc v.g. in modum sibi constitui curant: Dass im Fall der nicht Bezahlung/ so wohl des Capitals / als Zinsen / der Creditor und dessen Erben besuge seyn sollen / propria auctoritate , auch ohne Zustun der Obrigkeit / sich aus deren Unterpfändern allerdings bezahlt zu ma chen.

chen. Quod ipsa hæcce clausula vim instrumenti guarentigia-  
ti habeat, nullam dubitationem permittunt ea, quæ in termi-  
nis de ea adnotat Guilielm. Anton. de *Rescript. morator. Concl.*  
*46. n. 1.* Ejusmodi instrumentum guarentigiatum hujus effi-  
cacia est, ut contra debitorem non modo possit executive pro-  
cedi, si jam condemnatus sit, siquidem effectus ejusdem in  
paratisima executione subsistit, ceu vulgo notum; Matth.  
Coler. de *Process. execut. P. 2. c. 2. n. 2 seq.* Carpzov. *Process. Sa-*  
*xon. Tit. 22. Artic. 1. num. 33.* Mev. *P. 1. D. 240. n. 6.* sed & ob  
idem instrumentum, sine amissione crediti, qua alioquin pri-  
vata & propria bonorum debitoris occupatio coercetur, *L.*  
*Exstat. 13. ff. quod met. caus. L.* Si quis in tantam. 7. C. unde vñ  
creditor habet ingrediendi bona facultatem, cum debitor ipsi  
eandem pacto concesserit, *L.* *Creditores. 3. C. de Pignorib.*  
Quamvis enim tali pacto justam possessionem sine magistra-  
tus auctoritate creditor haud consequatur, monente Bachovio  
*tr. de Pignor. L. 3. c. 21.* attamen in eo utilis ea videtur posses-  
sionis occupatio, quod sicut sine poena ab initio est, ita quoque  
ex post facto confirmari per Magistratum valet, modo nemine  
resistente possessio sit occupata. Ut vero in resistentem  
quid liceat creditori; daß er den Schulden mit Gewalt aus den  
Gütern werfen möchte / mit eben solchem Recht wie es der  
Richter selbst nach ergangenem Rechtskräftigem Urtheil besuge /  
& disciplinæ & quiari publicæ, nec non bonis moribus adver-  
satur, Brunnem. *ad L. 3. C. de Pignor. n. 5.* Etsi autem Docto-  
res asserant, hodie instrumentum liquidum vel recogni-  
tum, quod videlicet continet, quid, quale, quantum, cui,  
a quo, & ex qua causa debeatur, paratam habere executionem;  
Mev. *P. 3. Dec. 16. & 179.* Carpzov. *Proc. Tit. 22. Art. 1. n. 33.*  
Blum. *Process. Cam. Tit. 24. n. 120.* Lauterb. in *Commentat. ad*  
*L. 27. ff. de Reb. cred. c. 5. §. 13.* ut ideo supra memorata in-  
strumenti guarentigiat efficacia parum utilitatis habere vi-  
deatur; nihil tamen secius tale instrumentum modo ante

§ 14.

adductos & tunc retinet effectus, quando alioquin ordinario processu causa ventilari debet, dum nempe qualitatem processus summarii suppeditat, etiam secundum Ius commune, de quo instrumentis executiva vis non ineft. Carpzov. *Proceſſ. Tit. 22. Art. 1. n. 7. seqq.* Imo etiam vi cit. L. 3. C. de Pignor. novum remedium adipiscendae possessionis dari testatur Menoch. *Remed. 5. Adipisc. poffeff.* quamquam illud differre ab interdicto Salviano, quo etiam creditoris utuntur, vix existimem, nisi in hoc, quod secundum d. L. 3. C. de Pignor. aliqualis privata occupatio, utut ex postfacto judicialiter confirmando, admittatur, ceu supra dictum; non autem in interdicto Salviano, ubi omnis privata occupatio procul abesse debet, arg. L. 13. ff. *quod met. cauſ.*

§. 11X.

Multum quoque vigilante arguit in creditoribus, ut loco contractus pugnoratii sub pacto antichretico cum debitore celebrandi, statim substituant contractum retroventionis, in quo longe melior est eorundem conditio, quam in antichresi; nam hoc casu omnes fructus ex re lucrantur, nec illi sortem minuunt, etiamsi legitimas usuras longe excedant, & premium minus sit aestimatione praedii ita venditi, cum ad dimidium usque laesio toleretur, L. 2. C. de Rescind. vendit. nec ad rationes rum obligatur creditor, quia jure dominii praedio utitur fruktur, Carpz. P. 2. C. 1. def. 1. Illo casu autem non tantum ad rationes tenerur, sed ad computationem quoque fructuum, etiam percipiendorum, ita, ut & in sortem, si legitimum usurarum modum excedant, imputentur, & ab hac ipsa multo cum incommodo creditoris detrahantur, etiam tunc, quando speciatim redditioni rationum fuit renunciatum, v. g. tali forma: Und soll mein Glaubiger nicht schuldig seyn / de fructibus einige Entstaltung zu thun / oder dieselbe in Rechnung zu bringen; müssen ihm dann die Ablegung solcher Rechnung per expressum erlassen seyn soll. Sanè ist hæc renun-

renunciatio, sicut inducit pravitatem usurariam, ita quoque non valet, Vultej. *Consil. Marpurg. Vol. 3. Conf. 18. n. 70.* Carpz. *P. 1. C. 32. def. 29.* sicut nec renunciatio *L. 3. C. de Pignorat. Art.* de fructibus percipiendis non restituendis ob odium usurariae pravitatis admittitur, monente Illustri Dn. Strykio *de cautel. contract. Sect. 2. cap. 4. §. 24.* Ceterum quamvis supra laudatus contractus retrovenditionis, in majorem creditoris securitatem ineundus, in hoc videatur creditoris conditionem facere duriorem, quod in contractu pignoratitio periculum sit debitoris, *L. 6. C. de Pignorat. Art. & L. 19. C. de Pignorib.* in contractu vero retrovenditionis periculum sit emtoris, si forte res casu perierit, quia emtor habet dominium, etiam pendente conditione resolutiva, & hinc casum fortuitum ferre tenetur, *L. 2. in fin. ff. de Leg. commissor.* potest tamen huic periculo occurri & præveniri per speciale hoc pactum, quod debitoris, non obstante translatione domini, periculum esse debeat; Cujus exemplum vid. apud illustr. Dn. Stryk. *cit. loc.*

## §. IX.

Id quoque vigilantes creditores speciatim observare solent ad sui crediti securitatem, si res feudales sunt oppignoratae, ne sint contenti sola confirmatione judiciali contractus pignoratitii, etiam si dominus feudi, qui simul est magistratus ordinarius, illum ipsum confirmet, & agnati, si feendum fuerit antiquum, se se ut testes subscriptant; sed eo labore etiam gaudent, ut dominus feudi præter confirmationem expresse in ipsam hypothecam consentiat sequentem in modum: Wir confirmiren diesen Contract nicht allein / sondern consentiren auch als Lehnherz in die Verpfändung derer Lehn-Güter; quod ideo necessarium videtur, quia res hæc maximi præjudicii est, Struv. *Syntagm. Jur. feud. c. 13. tb. 7. n. 4.* ad quam nuda confirmatio non sufficit, siquidem aliquis magis ut judex, quam ut dominus feudi, confirmasse censemur. Carpz. *Libr. 4. Rep. Elect. 29.* Itum tamen consensum ipse

ipse debitor debet impetrare, non creditor; nisi in contra-  
etu creditori potestas proprio motu consensum domini im-  
petrandi v. gr. ita data sit: Und will ich hiermit meinem Glaue-  
biger freye Macht und Gewalt gegeben haben/ auch ohne mein Vor-  
wissen über diesen Contract des Lehn-Herrns Consens einzuholen.  
Struv. S. J. F. cit. loc. n. 3. Agnatorum vero consensus non  
ex sola subscriptione contractus inducitur, siquidem ita sub-  
scribentes, sua nomina ut testes subnorasse censemur, & qui-  
dem salvo suo jure, Struv. S. J. F. c. 13. th. 18. n. 1. Anton. disp.  
Feudal. 10. th. 6. lit. (b.) sed necessum ad id est, ut eorum con-  
sensus legitime interponatur, tali expressa declaratione, sese  
ut agnatos consentire in oppignorationem. Illustr. Stryk.  
Exam. Jur. Feudal. c. 20. qv. 17. Hinc non sufficit adjectio,  
nomini subscripto facta: Als ein Beystand / sive ut adsistens;  
quamvis enim, si consanguineus adsistat hypothecanti vasal-  
lo, tanquam Advocatus vel Consiliarius, dum instrumentum  
oppignorationis conficitur, juri suo in tantum is renunciare  
voluisse videri posset, ut postea ipsum negotium amplius im-  
pugnare haud valeat, secundum ea, quæ tradit Tiraquell.  
de Retract. Gentilit. g. 1. gloss. 9. n. 267. seq. nihilominus tamen,  
quia totum negotium inter debitorem & creditorem peragit-  
tur, illudque subscriptentem principaliter non tangit; ideo  
contrarium verius judicandum, cum expressus consensus agna-  
torum in oppignoratione feudorum requiratur: Faciunt huc,  
quæ simili fere modo refert Illustr. Stryk. de Cautel. Contract.  
Sect. I. cap. 6. n. 14.

## §. X.

In hoc pariter sibi creditores singulariter prospiciunt, si  
usuras ultra alterum tantum excrescere non sinunt, sed parti-  
culariter exigunt, ne sortis quantitatem deminuere queant,  
L. 27. g. 1. C. de Usur. Utut enim secundum Jus Novellarum  
etiam singulis annis soluta & exacta usuræ ultra alterum tan-  
tum haud currant, Novell. 121. c. 1. & 2. Nov. 138, utique ta-  
men

men in praxi eo redditum est, ut, si particulariter solutæ sint usuræ, sortem excedere possint, nec ejus quantitatatem deminuant, & ita hodie secundum Jus Codicis, nempe textum L. 10. C. de usuris, plerisque in locis pronuntiatur. Id quod sua ratione haud destituitur: tum quia usuras prompte solventes, non sunt in eo statu, ut egeant levamine, quo in moderandis usuris respexit Legislator; tum quia usura soluta abiit, & est transmissa, nec ut accessio, quæ non amplius est, considerari potest, ut perbelli Huberus ratiocinatur *in suis Prelect. ad ff. tit. de usur. n. 28.* Unde etiam hæc adsertio specialia Sereniss Elect Saxon. Dec. 29. comprobata, & ab Ordinibus Frisiae anno 1613. in uolum revocata legitur, apud Sande L. 3. Dec. tit. 14. def. 5. Conf. Brunnem. *ad cit. L. 10.* ubi testatur, usuras particulariter solutas in quibusdam locis ultra alterum tantum excurrere posse, cui adstipulatur Magnif. Stryk. *ad Lauterb. Comp. tit. de Usur. pag. m. 419.* *ad verb. solute fuerint*, quando adserit, aliud obtinere jure Novellarum, aliud vero jure Codicis; & quidem secundum nonnullos Doctores ideo, quia ex dict. Novell. 121. nulla avthentica desumpta & Codici inserta conspicitur, etiam Novella ista nunquam in foro recepta. Inde est, ut saltem illis in locis, ubi hujusmodi particularis solutio usurarum statuto juris de altero tanto non contrariatur, utique sibi vigilent creditores, etiam quoad integritatem sortis, si particulariter usuras diligenter exigant. Imo magis adhuc sibi prospicere mihi videntur creditores, qui ad omnes hac in re occurrentes scrupulositates praescindendas, credita sua ante existentiam alterius tanti exigunt, & ad illius evitatem debitores suos quantocius mutant, arg. L. 28. §. f. ff. de administr. tutor. Carpz. Pr. Crimin. P. 2. Quast. 92. n. 53. Frantz. Libr. 2. Resolut. 10. n. 42. Perez. *ad C. tit. de usur. n. 19.*

## C M E M -

MEMBRVM POSTERIVS,  
Vigilantiam quoad exactiōnē exhibens.

§. I.

**N**unc accedo ad alterum præsentis Dissertationis mem-  
brum, nempe ad eam vigilantiam, qua credito-  
res utuntur in exigendis suis debitibus. Hæc lese poterit  
exere vel extra concursum creditorum, vel in  
ipso concursu. Extra illum creditores sæpius ad evitandas  
processuum molestias, & impedientias iniuricicias aliave in-  
commoda, illud commune germanorum proverbium: Ein  
magerer Vergleich ist besser / dann ein fetter Procefs, secum pau-  
lo penitus perpendentes, sibi pacto prospiciunt, quod valide  
& caute ineunt cum debitore, per L. 7. §. ult. ff. de Paet. etiam  
si non omnes creditores in id celebrandum consentiant; suf-  
ficit enim, si modo major eorum pars sibi magis consulcum esse  
videat pacisci cum debitore. Tali pactione molestiis metu-  
endis utique occurrit, ita, ut etiam ceteris creditoribus, qui  
pacto interfuerunt, nec consenserunt, L. 7. §. f. ff. de Paet. vel  
legitime citati non coimparuerunt, eo ipso præjudicetur, L. 10.  
pr. ff. de Paet. ibique Costal. Gloss. Jason. Paul. Castren. Matth.  
de Afflict. Dec. 288. cum illi imputare sibi debeant, quod absen-  
tes fuerint, nec diligenteres & vigilantiores se exhibuerint,  
vid. L. 6. §. Scindum. & L. Pupillus. 24. in fin. ff. quæ in fraud.  
cred. Neque enim debet absentia quorundam nocere præsen-  
tibus & id agentibus, ut sibi, imo omnibus creditoribus, et-  
iam absentibus, quantum possunt, consulunt; consulunt, in-  
quam, in eo, ut, quantum fieri potest, minimam debitum ja-  
cturam patientur: Nec credendum præsentes sibi nocere vo-  
luisse, ut absentibus quoque nocerent, Anton. Fab. in Ratio-  
nal. ad L. 10. pr. ff. de Paet. verb. Quid ergo, si quidam absentes.  
Ad id tamen, quo pactum præsentium absentibus præjudi-  
care

care possit, requiritur, ut omnium creditorum, & præsentium, & absentium jura sint æqualia, hoc est, ut omnes aut sint simplices creditores, arg. L. 7. §. f. & L. 10. pr. ff. de Paet. aut hypothecarii simplices, hypothecam uno eodemque modo & tempore constitutam habentes, arg. L. 16. §. 8. ff. de Pignor. inter hos enim obtinet regula: quod privilegiatus contra æque privilegiatum non utatur suo privilegio, Barbos. locuplet. Libr. 1.4. c. 83. Axiom. 26. Straccha de Decoctor. Part. 6. n. 13. in fin. vers. peritus Iudex decrevit. Berlich. P. 2. Dec. 238. n. 8. sèqq. ubi & Responsum Dn. Scabinorum Lipsiensem huc omnino faciens refert. Laudatum adserendum tamen limitatur: si unus, qui ex hypothecariis absens fuit, nec consensit, bona debito suo sufficientia possideat, cuius conditioni ceteri pacto remissorio nullum facere possunt præjudicium, arg. L. 10. pr. ff. de Paet. & L. 10. ff. de Pignorib. Quod si autem pacienterum creditorum jura existant inæqualia, tunc utique verum est, quod v. g. simplices hypothecarii creditoribus hypothecariis privilegiariis & qualificatis, & sic anterioribus, absentibus & non consentientibus, etiam illi majorem partem constituent, minime prædicare valeant, L. 10. pr. ff. de Paet. Bachov. ad tib. de Paet. cap. de Objecto Paeti. num. 10. vers. cum ipsa ratio suadeat. Carpz. P. 2. C. 22. def. 28. Berlich. Decis. Aur. P. 2. Dec. 242. n. 26. id quod tamen iterum limitandum quoad initum a majore parte creditorum pactum præjudiciale, ratione induciatum moratoriarum vel accipiendo bonorum cessionis; quali pacto utique etiam simplices creditores prædican hypothecariis, L. f. C. qui bon. ced. posse. Carpzov. P. 2. C. 22. def. 29. Berlich. P. 2. Dec. 239.

## §. II.

Præter illam ipsam vigilantiam, quam creditores ad evitandas molestias processus & litis, supra dicto modo per pactum cum debitore initum, adhibent; alia quoque vigilancia creditoribus simplicibus sive chirographariis necessaria & utilis esse

esse potest, ut scilicet hujusmodi pacto remissorio cum debitorie ineundo, præcaveant prælationem creditorum, simplex tantum personale privilegium habentium, vi cujus omnibus creditoribus simplicibus in concursu anteferri alias debent, L. 9. C. quæ potior in pignor. siquidem hæc prælatio creditorum simplieiter privilegiatorum intervertitur per tale pactum remissorium majoris partis creditorum simplicium. Hoc equidem Paulus Jurisconsultus in L. 58. §. 1. ff. Mand. negare videtur, quando ait: Sed cum proponas eum absuisse, iniquum est, auferri ei electionem, sicuti pignus & privilegium, &c. quo etiam faciunt verba Mevit: in discuss. levam. debitor. cap. 3. n. 178. ajentis: Equiparatur pignus & privilegium, eundemq. effectum habet, neutrumq. aliorum consensu aufertur. Sed contrarium respondit Ulpianus Jctus in L. 10. pr. ff. de Pact. utpote in quo juris textu Rescriptum Imperatoris non tantum adducitur, sed simul Ulpiano in ultimis verbis adprobatur. Hancque sententiam hodierni etiam Jcti & Dres tuentur, Vinn. Tr. de Pact. c. 17. n. 6. & 8. Bachov. Tit. de Pact. cap. de Objecto Pacti. n. 10. ac adeo in praxi ipsam observari testatur Berlich. P. 2. Dec. 241. n. 8. seqq. ubi simul Responsum Jctorum Wittebergenf. hic faciens, adlegat. Nec huic assertioni quidquam detrahit supra in contrarium adducta L. 58. §. 1. ff. Mandat. Præter alias enim legis hujus resolutions, quas adducunt Bachov. cit. loc. n. 9. & Berlich. d. Decif. verior mihi sola hæc responsio videtur, quod Paulus Jctus in dicta L. 58. §. 1. non neget, pactum hujusmodi remissorium privilegiariis præjudicare, sed hoc saltim dicat, quod pactum illud, sicuti nec electionem, principalem vel mandatorem conveniendi, nec pignus; ita nec privilegium creditori auferat: sed illo pacto non obstante, privilegiarii privilegium salvum habeant, non indistinctum, sed tantum quoad residuum debiti in futurum, si debitor nimis ad meliorem fortunam pervenerit, exigendi. Non aufertur ergo Privilegium per dictum pactum

pactum quoad futurum; quoad præsentem vero debitoris statum utique auffertur, L. 10. pr. ff. de Pact.

## §. III.

Ad singularem pariter creditorum vigilantiam spectat, ut creditores debitorem in fuga constitutum sequantur, &c., quantum fieri potest, eo nitantur, ut ab eo, pecuniam secum ferente, suum consequantur, L. 10. §. 16. ff. que in fraud. credit. verbis: Si debitorum meum & complurium creditorum consenseruntus essem fugientem, secum ferentem pecuniam, & abstulissent ei id, quod mihi debeatur s placet Juliani sententia, dicens, multum interesse, antequam in possessionem honorum ejus creditors mittantur, hoc factum sit, an postea: si ante, cessare in factum actionem; sin postea, huic locum fore. Quamvis enim jura alioquin ei, qui judicis auctoritatem negligit, & sibi privata auctoritate jus dicit, haud faveant, sed ejus factum sub pena amissionis crediti improbent; attamen hoc in casu, sicut & in aliis, ubi periculum est in mora, & judicis copia statim haberi nequit, vid. L. 3 ff. de Justit. & jur. & tot. tit. C. quando liceat unicuique fin. judic. non nihil contra juris communis regulam, in L. 176. ibi: Non est singulis concedendum, quod per magistratum publice possit fieri, ne occasio sit majoris tumultus faciendi, ff. de Reg. Jur. contentam, permittitur, idque in odium fugæ. Unde est, ut debitor fugitivus possit a creditore capi, Gail. 2. Obs. 44. Hilliger. ad Donell. ea intentione, ut vel judici exhibeat, vel pecuniam solvat creditori capienti, quam ipse eidem debet, si quam secum tulit. Hanc pecuniam, debitori in fuga constituto extortam, cum ceteris creditoribus communicare haud tenetur capiens: sibi enim juxtagit. L. 10. §. 16. ff. que in fraud. credit. vigilavit soli, nec exinde ceteri negligentes quidquam participare debent, etiamsi alioquin sint iure potiores & anteriores; Brunnem. Cent. 5. Dec. 59. Struv. Exerc. ad ff. 44. th. 81. modo tamen (1) debitor in fuga fuerit constitutus, vel saltim ex certis indiciis constiterit, eundem

dem fugere voluisse, Godofr. in not. add. L. 10. §. 16. lit. (n.) (quali casu, quod obiter noto, persequutio debitoris fugientis etiam die feriata fieri potest, non quidem ut litigetur, sed ut vel ducatur ad judicem cognitum, reumque eo adactum, ut caveat de judicio listendo, Bart. ad cit. Leg. & Godofr. cit. loc., vel ad solutionem in continentis impetrandam) & (2) bona debitoris nondum sint a creditoribus possessa, alias enim utique pecuniam extortam ceteris cum creditoribus conamericare tenebitur, Straccha de Decoctorib. P. 7. n. 13. Brunnenm. ad cit. L. 10. §. 16. n. 22. Mev. P. 2. Dec. 222. & P. 4. Decis. 142. Contrariari equidem videtur JCtus Scævola in L. Papellus. 24. ff. quæ in fraud. creditor. quando respondit: & si in eo esset, ut bona debitoris mei venirent, non tamen revocare, quod ei extorsus vel exegi, quia vigilavi mihi. Verum hæc non sunt contraria. Verba enim Scævolæ: & si in eo esset, ut bona debitoris mei venirent, civiliter sunt intelligenda: non ut significant missione jam factam, sed potius futuram, id est, ita inopem & obæratum fuisse debitorem, ut jam animo meo præcepimus, mox evigilatueros & reliquos creditores, ac bonorum possessionem postulatueros. Hic ego, si ante vigilavi, debitumque consequatus sum, non teneor actione revocatoria, quia jura vigilantibus scripta, Berlich. P. 1. Concl. 71. n. 14. seq. Mev. P. 3. Decis. 88. n. 5.

## §. IV.

Præter adductam vigilantiam, in persequendo debitore fugiente adhibendam, etiam hæc maxime proficia creditoribus, ut in tempore, quamvis sciant, debitores solvendo non esse, debita sua sive per sententiam judicis, sive absque ea & extrajudicialiter exigant; siquidem eo ipso conditionem suam faciunt meliorem, ita, ut postea a ceteris creditoribus, pari jure gaudentibus, ratione ejus, quod hoc modo a suis debitoribus jamjam sunt consequuti, conveniri haud queant, L. 6. §. 7. ff. quæ in fraud. creditor. L. Ait Prætor. 10. §. ita demum. 1. & 2.

& 2. L. pen. eod. tit. L. 6. §. 2. ff. de rebus auctor. judic. poss. Hinc,  
 si unus ex chirographariis præ ceteris suum obtinuerit, reli-  
 qui id revocare minime posunt, nam sibi vigilavit: jura au-  
 tem vigilantibus sunt scripta, d. L. Pupillus. 24. ff. qua in fraud.  
 creditor. Carpzov. P. 1. C. 28. Def. 178. in præjudicio ibidem  
 sub juncto: Ob nun wohl sonst unter denen chirographariis  
 dasjenige / was einem von dem Schuldner ausgezahlet worden /  
 nicht repetiret/ noch wiederum eingefordert werden mag &c. Quare  
 injuste opponitur tali vigilanti creditori exceptio plurium cre-  
 ditorum, cum integrum fuerit singulis creditoribus, bonis non-  
 dum possessis, vel immissione in eadem nondum facta, nec  
 concursu jam moto, experiri ad suum impetrandum, per cit.  
 L. 6. §. 7. ff. qua in fraud. cred. vigilantium enim potior con-  
 ditio, d. L. 24. eod. tit. aliisque minime sit injuria, dum ces-  
 fiant: oportet enim inter diligentes & desides esse differen-  
 tiā, L. f. C. de Alluvion. ne industria poenam desidiae luat,  
 L. f. C. Depos. Mev. Part. 6. Dec. 314. Dn. de Lynker. Decis. 518.  
 ubi hanc in rem ira decisum: Dieweil aber doch die übrige Cre-  
 ditores vor jenem Cessionario kein besser Recht gehabt / die Bona  
 des Meranii auch da zur Zeit mit einigem Beschlag nicht angegrif-  
 fen gewesen: & vero quisque sibi vigilare potest, estque occu-  
 pantis melior possessio, licet jam non amplius solvendo sit de-  
 bitor, L. 6. §. 7. ff. qua in fraud. credit. L. 16. de Pignor. Das  
 hero auch ein solcher creditor zur communication des erlangten  
 nicht verbunden &c. Ut autem ita vigilantes creditores fructu  
 industria sua gaudeant, ac negligentibus sua noceat inertia,  
 hincque communicatio cum ceteris alias facienda cesseret, se-  
 quentia supponenda sunt requisita, (1) Ne debitor, qui sol-  
 vendo non erat, dolo malo, aut per gratificationem, uni ex  
 creditoribus instantibus & solutionem urgentibus, solvat, L. 6.  
 §. Sciendum. seq. L. 10. §. ita demum. L. pen. ff. qua in fraud.  
 cred. L. 6. §. Quid ergo. ff. de rebus auctor. judic. poss. (2) Ne  
 solatio sit violenter extorta, L. 24. ff. qua in fraud. cred. (si-  
 quidem

quidem hæc violenta exactio non prodest, nisi in sola debitoris fuga. Berlich. *P. 1. Conclus. 71. num. 14. seqq.*) Nec (3) creditores socii sint, (alias enim id, quod uni sociorum solutum est, conamericandum reliquis venit: iniquum enim est, ex una societate alium plus, alium minus consequi, Berlich. *cit. loc.*) (4) nec debitor solverit creditori, exacta ab eo cautione, ut & ceteros creditores postea venientes ad participationem soluti admittat, *L. Ex facto. 52. ff. de Pecul. Postremo* (5) secus quoque est, si jam omnium creditorum pars causa facta sit per cessionem bonorum, vel immisionem, aut eorum sequestrationem, *L. 6. §. Sciendum. ff. qua in fraud. credit. L. Creditores. 14. §. 1. ff. de Reb. autor. jud. poss.* Anton. Merenda *Libr. VI. Contror. 6.*

## §. V.

Hic nunc disquirendum venit, si solutio secundum praemissa requisita, adeoque legitime, facta fuerit deteriore jure gaudentibus creditoribus simplicibus & chirographariis, num potius jus habentes, id, quod ipsis solutum, revocare possint? Sunt sane nonnulli, qui distinguunt inter pecuniam & rem exactam adhuc existentem & consumptam. Priori casu, sique illa exstat, prioribus creditoribus illam anticipatam exactiōnem non ita obesse opinantur, quo minus id, quod exstat, possit vindicari, *L. 3 ff. Quod cum eo, qui in alien. potest. L. 52. ff. ff. de Pecul. L. 18. §. f. ff. de Jure fisc.* In bonis enim cum pecunia quoque computetur, hinc consequens esse ajunt, posteriorē creditorem actione hypothecaria pecuniam posteriori hypothecario vel chirographario solutam persequi posse: Quod ipsum sane iura communia tunc concedere videntur, si justa sub sit causa, per *L. 5. C. de Privileg. Fisci. justam vero causam subesse statuunt, si debitor non sit solvendo;* nam, si posterioribus creditoribus ex patrimonio debitoris adhuc satisfieri potest, tunc cessare revocationem posteriorum creditorum putant, arg. *L. 6. §. f. ff. de Rebus auctor. jud. poss.* Posteriorē

teriore vero casu, sique pecunia, accepta a creditoribus solutionem anticipantibus posterioribus vel chirographariis, fuerit consumta, illam condici non posse existimant, solo fisco excepto, cui extraordinario jure consumtam quoque pecuniam restituendam censem, L. 18. §. fin. & seq. de Jur. Fisc. nec hanc ipsam conditionem ad privatos creditores porridentam autumant. Alii indistincte, sive pecunia extiterit, sive sit consumpta, revocationem & repetitionem creditoribus potioribus & hypothecariis permitunt, sequentes glossam in d. L. 6. C. de Privileg. fisc. vid. Strach. de Doctorib. P. ult. num. 28. Moller. 2. Semest. 4. Mev. ad Jus Lubec. 3. tit. 1. §. 3. n. 11. seqq. seque fundantes in L. 3. ff. Quod cum eo, qui in alien. potest. in L. 52. ff. de Pecul. & in L. ult. §. 6. C. de Jur. delib. Verum enim vero secta prioris opinionis, distinguentis inter pecuniam existantem & consumtam, respondet ad hosce textus sequentem in modum; & quidem (1) ad d. L. 3. Quod cum eo, qui in al. pot., quod illa Lex plane non obstat, cum hoc solummodo dicat, si queratur, quatenus emancipatus facere possit, deducendum esse id, quod ille privilegiario debet; de consumptione vero pecuniae jam soluta nullum verbum ibidem proponi ajunt. Pariter (2) citatam L. 52. §. ult. ff. de Pecul. frustra hic adduci censem, cum solummodo doceat, re integra habendam esse rationem privilegiariorum, vel dilata actione certorum creditorum, vel per cautionem de restituendo, si postea venerint privilegiarii: de conditione autem pecuniae consumtæ altum adesse silentium adserunt. (3) Adductam L. fin. locum tantum habere existimant, quoties heres debitoris confecto inventario adiit hereditatem, sive a judice coactus solverit, sive sua sponte: ad alios autem Creditores eundem textum non esse producendum arbitrantur, siveque isthanc Legem non revertere, sed temperare saltim contrariam sententiam. Mihi sane distinguentium Interpretum adsertio juri scripto videtur conformior; quia illud jus singulare, rem consumtam condicendi, fisco in L. 18. §. f. seq. ff. de Jur. fisc.

D

con-

concessum, non est producendum ad consequentiam, L. 14. &  
 16. ff. de LL. ceu quoque adstruit Merenda Libr. VI. Controv. 6.  
 Sed non distinguunt Ddruum opinionem æquitati & usui  
 fori convenientiorem nihilominus judico cum Struvio S. 7.  
 C. Exerc. 44. th. 81. Carpzov. P. 2. C. 28. def. 179. Berlich. P. I.  
 Conclus. 71. n. 29. Facit huc omnino præjudicium a Carpzov.  
 cit. loc. adductum: Dieweil ihr aber dennoch auf des Schuldnern  
 Gütern eine gerichtliche Verpfändung / und vor andern ein Pri-  
 vilegium erlanget / dahero/ euch zum Nachtheil/ keine Bereuerung  
 geschehen können/ &c. So seyd ihr auch dasjenige/ was Hansen  
 Wölfen ausgezahlet worden / so weit sich eure Schuld erstrecket/  
 wieder einzufordern und euch davon bezahlt zu machen wohl besuge.  
 V. N. W.

§. VI.

Jura haec tenus deducta equidem non prohibent, quo mi-  
 nus creditor a debitore obærato solutionem impetrat; siqui-  
 dem eo ipso suum recipere, & neminem defraudare censeretur,  
 L. 6. §. 7. ff. qua in fraud. cred. Attamen, sicuti supra monui,  
 hæc solutio non debet esse obtenta per debitoris gratificatio-  
 nem, eo tempore factam, quo plures instant & solutionem  
 urgent, L. 6. §. 2. ff. de Reb. aut. jud. poss. L. 24. pr. ibi: per Gra-  
 tificationem, L. 6. §. Scindum. ff. Qua in fraud. creditor. Quod  
 adeo veruin, ut, si eo tempore aliquid ita uni solutum fuerit,  
 hoc ceteris communicandum, aut alteri eadem portio præ-  
 standa sit; sicque hæc repeti potest ab accipiente, tanquam in  
 fraudem reliquorum soluta, Vinc. Carocc. Dec. 109. n. 27. seq.  
 Joh. a Sande Libr. 3. Dec. Fris. tit. 15. def. 1. Hoc ulterius etiam  
 eo usque extenditur, ut nec ante concursum, vel bonis a credi-  
 toribus nondum possessis, valeat solutio uni facta, instantibus  
 pluribus ac solutionem urgentibus, præfertim ubi debitor  
 novit bona ita esse comparata, ut omnes credidores suum  
 consequi nequeant; quo casu debitor uni vel alteri non solve-  
 re, & potius reliquos credidores monere debet, ut simul in-  
 stent, Francisc. Salgado Labyrinth. creditor. P. I. c. 1. n. 27. nec  
 potest hæcce gratificatio fieri, et si unus saltim creditorum per  
 ipsam

ipsam defraudetur, L. 10. §. 6. ff. Quæ in fraud. credit. Mev. ad Jus Lubec. Libr. 3. tit. 1. Art. 3. n. 21. Berlich. P. 1. Concl. 71. n. 14. seqq. Carpzov. P. 1. C. 23. def. 178. n. 4. ubi hanc rem iterum dilucidat Responso Dnn. Scabinorum Lipsiensium; quamvis alias concursu creditorum nondum moto debitor ejusve heres uni vel alteri creditorum solvere posse videatur, arg. L. f. §. 4. C. de Jur. deliber. L. 52. §. f. ff. de Pecul. Imo ista gratificationis species a jure ita improbata est, ut nec uni ex chirographariis pignus dare liceat reliquis creditoribus instantibus & solutionem urgentibus, per expressam decisionem Ulpiani, in L. 10. §. 13. hisce verbis: *Si cui solutum quidem non fuerit, sed in vetus creditum pignus acceperit, hac actione tenebitur, ut est sapissime constitutum, ff. quæ in fraud. creditor. contentam; quam legem etiam in supremo Frisorum Senatu jus dicando retentam refert Joh. a Sande Libr. 3. tit. 13. def. 1.*

## §. VII.

Cum jam satis ex dictis innotescat, quod debitor quidem instantibus aliis creditoribus non possit solvere; possit tamen, aliis non instantibus, nec solutionem urgentibus, utique gratificari creditoribus illis, quibus velit, etiam si sciat, bona sua ad satisfaciendum omnibus creditoribus non sufficere: sane simul adparet, quid censendum sit de eo casu, si mercator vel alius, se bonis mox lapsurum prævidens, Titium, has circumstantias penitus ignorantem, sub promissione lautoris cuiusdam dotis, ad filiam suam in matrimonium ducendam alliciat, Titius quoque intuitu hujus dotis missæ filiam promissoris sibi desponset, hac tamen lege, ut dos statim nuptiis secutis exsolvetur; dote quoque post nuptriarum celebrationem exsoluta, circa tradentis dotem patris bona excitetur concursus, creditores vero sentientes, debitorem scienter ac prudenter in eorum fraudem constituisse Titio genero suo illam dotem, hujus repetitionem intendant? Sane cum dotis causa sit onerosa, dum illa marito constituitur ob onera matrimonii fereda, ejusdem repetitio hoc casu haud concedenda mihi videtur.

D 2

Nam

Nam si alienatio in fraudem creditorum ex causa onerosa facta repetitioni locum facere debet, requiritur, ut & tradens, & accipiens dolose egerint, L. 6. §. 8. ff. Qua in fraud. cred. L. 10. §. 4. & 5. ff. eod. quod si autem tradens tantum, dolose egerit, non vero accipiens, dum hic ipse dantem solvendo non esse ignoravit, hic erit turus, & actione Pauliana conveniri nequit. Hinc etiam in praesenti omnino dicendum, generum istius oberrati soceri revocationem dotis pati minime debere, (per L. 6. §. 8. dict. tit. ibi : Quare si quid in fraudem creditorum factum sit, se tamen is, qui cepit, ignoravit, cessare videntur verba Edicti, L. 5. C. de Revocand. his, que in fraud. cred. Mev. P. 9. Dec. 26. n. 8.) & quidem tamdiu, quamdiu ab actore non probatur participatio fraudis, L. 10. §. 2. L. 17. §. 1. ff. Qua in fraud. credit. Carpzov. 1. Reff. 83. Perez. in Cod. h. tit. ubi enim deest fraus in eo, qui accepit ex causa onerosa, ibi cessat actio Revocatoria, cuius ratio est in fraude, L. 1. ff. Qua in fraud. cred. Quare revocaturus, bonis debitoris non sufficientibus, dotem fraude acceptam probare debet, L. 2. C. de Revocand. his, que in fraud. Fraus tamen tempore contractus solum spectatur, sufficitque, modo tunc accipiens ejusdem non fuerit particeps, etsi postea eveniat, ut suo creditores potiri nequeant: fraude enim tunc cessante, revocatio jure non fit, L. f. §. 1. ff. Qua in fraud. cred. siquidem tanquam ex titulo oneroso gener dotem accepit, & dum oppido eam exegit, suumque recepit, non fraudare alios, sed sibi vigilare censetur, in cuius vigilancia favorem jura etiam scripta esse constat ex d. L. Pupillus. 24. & L. 6. §. 7. ff. dict. tit. Haec procedunt etiam, si quando res cum marito, qui dotem uxoris nomine accepit, agitur, Mev. P. 9. Dec. 26. n. 7. & 8. Quo respectu vigilancia haec singulariter commendanda est ilis creditoribus mariti, quibus dos promissa, ut quantocius a promissoribus eam exigant, suamque conditionem eo ipso, secundum supra adducta, reddant meliorrem, cum alioquin simplices inter creditores ipsius promissoris sint collocandi. Secus tamen haec omnia se haberent, si pater

pater vel extraneus quispiam, mox bonis lapsurus, filiæ quantitatem ad futuram dorem dedisset, quia sic istam quantitatem dotti destinatam accepisset ex titulo lucrativo, L. f. §. 1. ff. Quæ in fraud. cred. L. 6. §. 8. & 11. ff. eod. Ipsam hanc revocationem locum quoque sibi vindicare puto adversus ipsum maritum, si quando res jamjam antea hypothecæ vel pignoris nexus affectæ ipsi a socero in dotem traditæ fuerint, L. 2. C. de Revoc. b. que in fraud. L. 18. C. de Pignor. siquidem hæc revocatione creditoribus hypothecariis tunc competit sine intuitu ullius fraudis, Mev. P. 9. Dec. 26.

## §. 11X.

Supra deductam vigilantiam in anticipanda solutione secundum L. 6. §. 7. & L. 24. ff. que in fraud. creditor. ita tamen intellectam volo, ut quidem procedat inter creditores unius ejusdemque qualitatis, nempe chirographarios aut simplices, vel inter privilegiarios tantum, vel inter hypothecarios uno eodemque temporis momento hypothecam habentes, vel inter alios creditores æqualium jurium; hi enim creditores, sive priores, sive posteriores, paria jura habent, ideoque ut privilegiati contra se invicem privilegio uti nequeunt; conditionem tamen suam præoccupando & vigilando meliorem facere possunt, L. 19. ff. de Rejudic. Pistor. Libr. 3. Quæst. 20. n. 1. Tusch. Tom. 2. Concl. 1066. n. 6.; Ceteroquin, si unus, infirmiore jure nitens, præoccupet rem quandam sibi a debitore insolutum datam & adhuc existantem, aut pecuniam, juxta superius adducta jura, tunc revocatio ac repetitio utique locum habet, L. 18. §. f. L. 19. ff. de Jur. fisc. L. 12. §. 5. C. de Privileg. fisc. L. 22. §. 5. & 6. C. de Jur. deliber. Carpzov. P. 1. C. 28. d. 178. Sed quanam actione revocatio fieri debeat, dispiciendum. Sane si hypothecarii revocant, tunc actio quasi Serviana competet, L. 18. C. de Pignor. L. 10. C. de Remiss. Pignor. L. 12. C. de Distract. Pign. Mev. P. 9. Dec. 26. n. 1. & 2. Quod si autem res præoccupatae non amplius existant, sed b. f. consumtæ fuerint; creditores, potiore jure nitentes, restitutio-

nem earundem in subsidium condicione ex Lege impetrare queunt, arg. L. 12. §. 5. ff. *Qui potior. in pign. L. 22. §. 5. & 6.* C. de Jur. delib. Berlich. P. 1. Concl. 71. n. 20. Quamvis enim vigilantia laudem & præmium mereatur; hoc tamen non in tantum procedit, ut alteri Jus suum, vel ex Legis beneficio, vel ex conventione quæsitum, auferat, Hartm. Pistor. *Libr. III. Quæst. 20. n. 1.* Quam revocationem & illis permittendam censeo, qui arrestum a Judice impetrarunt; si enim facta instantibus aliis creditoribus præoccupatio, locum facit communicationi cum ceteris creditoribus, L. 6. §. 2. ff. *de Rebus au-  
ctor. jud. pos. L. Pupillus. 24. ff. Quæ in fraud. cred.* multo magis arrestum eandem causabitur, utpote quod multis in locis jus reale & hypothecam constituit, Berlich. P. 1. Concl. 71. n. 14. seqq.

## §. IX.

Inter vigilantias creditorum haud pœnitendas nec hanc postremam æstimo, quando creditores, videntes, heredem defuncti non esse solvendo, separationem bonorum a defuncto relictorum petunt, ut ipsis ex hereditate potius defuncti, quam ex patrimonio successoris & heredis, solutio fiat, L. 1. §. 1. ff. *de separationib.* tunc enim juris interpretatione quoad creditores hereditarios perinde est, ac si hereditas adita non fuisset, sed vel jaceret, vel vacaret, L. 1. §. 6. & L. 5. ibi: *Quæsi defuncti bona vendiderunt. ff. eod.* Hinc etiam est, ut illi credidores isthanc separationem impetrantes separantur a creditoribus heredis; ira ut illi in bonis hereditariis defuncti potiores, imo soli sint, & excludant, quamvis sint chirographarii, omnes heredis creditores, etiam privilegiarios & hypothecarios, L. 1. §. 1. & L. 3. §. 3. ff. *de Separat.* utpote qui bona hereditaria separata attingere nequeunt, quamdiu illis tam ratione usurarum, quam ratione sortis satisfactum non est, arg. L. 18. ff. *Qui potior. in pign.* & L. 9. §. f. ff. *de Pact.* Hahn. ad Wef. tit. ff. *de Separat.* n. 3. Facit in hanc sententiam Responsum Scabin. Lips. apud Carpz. P. 1. C. 28. d. 10. hujus tenoris: *Da nun seine Güter zur Bezahlung aller creditoren nicht zureiches-  
ten etc.*

§ 31.

ten &c. So werden die väterlichen Gläubiger vor allen des Sohnes Gläubigern von dem väterlichen Hause billich befriedigt. *V. N. W.* Sed illis tantum Prætor dicto modo succurrat, qui petendo hanc separationem sibi vigilant; non autem ceteris creditoribus hereditariis, qui dormiunt & illam negligunt, hoc ipso prospicitur: nam hi tale beneficium contemnentes heredis fidem sequuntur, & creditoribus ipsius heredis adnumerantur, *L. I. §. 16. ff. de Separat.* Wesenbec. *ad ff. b. t. n. 4.* ibique Hahn. Unde sibi vigilare debent creditores hereditarii, ne fidem heredis eligant; hanc enim semel eleam sequi, & viam, quam ingressi sunt, ambulare tenentur, nec poenitere amplius, ac postea deinde separationem petere possunt, *L. I. §. 10. & 15. ff. de Separation.* Caveant ergo sibi creditores beneficium separationis intendententes, ne vel novandi animo (qui tamen hodie non præsumitur, *L. f. C. de Novat.* Brunnem. *ad L. I. ff. de Separat. n. 17.*) ab herede stipulentur, vel ab eo pignus aut fidejussores, licet minus idoneos, accipiant, *cit. L. I. §. 10. 11. & 15. ff. eod.* (id quod tamen post *d. L. fin. C. de Novat.* etiam non aliter procedit, quam si animo novandi hoc factum esse adpareat, Brunnem. *d. l. n. 8.*) vel usuras ab eodem hac mente, quasi eum eligendo animoque novandi, (qui nec hoc casu hodie præsumitur, vid. omnino Brunnnum *d. l. n. 17.* ac *Mev. P. 2. Dec. 335. & P. 7. D. 133. n. 7. 8.*) exigant, *L. I. §. 10. in fin. dict. tit.* ea enim agentes, non minus personam & fidem heredis eligere censentur, ac illi, qui expresse huic beneficio renunciarunt, Lauterb. *in Comment. de Separat. c. 7. §. 1.* Caveant etiam sibi, ne expectent, donec bona hereditaria ab herede consumantur & b. f. alienentur, Lauterb. *cit. Comm. c. 4. §. 4. & c. 7. §. 2.* (vid. tamen Brunnem. *d. l. n. 20.* ubi in Pomerania & Marchia non obstante consumptione bonorum paternorum ab herede facta, separationem etiam a creditoribus non petitam dari ex *Meyio* notat,) itemq; ne quinquennium a tempore aditæ hereditatis computandum præterlabi finant, *L. I. §. 13. ff. de Separat.* alioquin omni-

no sibi præjudicant, ac heredis fidem & bona sequi necessum habent. Eligendo tamen sic bona defuncti, non possunt, si ea solvendo haud sint, ab iis recedere & reverti ad heredis bona & personam, *L. 5. &c. l. 1. §. 17. ff. eod. tit.* Sibi tamen de regressu aliqualiter vigilare poterant, si justum errorem adle-gant, nam hic venia dignus, *L. 11. §. 3. & 10. ff. de Interrogat. in Jur. fac.* Qualis autem justus error dicatur, illud definitum non reperitur, ac per consequens judicis arbitrio erit ejus de-finitio relinquenda, *L. 1. §. 1. ff. de Jur. deliberand.* Ille error hic sufficiens videtur, si in hereditate multæ res reperta fuerint, quas omnes defuncti proprias crediderunt, postea vero illarum domini vindicaverunt, arg. *L. 3. pr. & ibi Godofr. ff. ad Sc. Macedon.*

## §. X.

Nunc etiam nonnihil tradere placet de vigilantia creditorum concursu jam excitato. Hic cavere sibi debent illi cre-ditores, qui ordinario separationis jure res suas adhuc exstan-tes a debitoribus suis consequi valent, si eorum simul sunt do-mini, ut, si fuerint deponentes, *L. 17. §. 1. ff. Deposit. l. 31. ff. locat. l. 24. §. 2. de Reb. aut. jur. poss. commodantes, l. 8. ff. com-modat. precario concedentes, l. 1. §. f. ff. de Precar. l. 39. ff. lycat. conduct. pignus soluto debito repetentes, arg. *L. 9. C. de Pignorat. Action. aliive.* Hinc recte tradit Bald. in *L. In rebus. 39. C. de Jur. dot. n. 2. cum*, qui prætendit dominium actu per-manens, potiorem esse quocumque alio creditore debito-ris sui; & Vincent. Carocc. Tr. de *Deposit. P. 2. Q. 47. n. 1.* bane ponit æquitatis regulam: *ubicung res mea reperitur penes ali quem, & non est translatum ejus dominium, praferor omnibus creditoribus, tam ex personali, quam reali actione agentibus.* Carpz. *P. 1. Dec. 58. n. 16.* Köppen. *Dec. 28. num. 3.* Berlich. *P. 1. Conclus. 54. n. 4.* Etsi autem venditores isti, quibus domini-um vel conventione, vel lege reservatum, *l. 48. ff. de Pact. §. 42. I. de R. D.* fine dubio etiam extra concursum suum con-sequi valeant; attamen & vendoribus præsentem vigilan-tiam, extra concursum petendi suam rem, prodeesse existi-mo,*

mo, si dominium quidem in emtorem transtulerint, & fidem de pretio habuerint, sed ad hanc tamen fidem habendam dolo fuerint inducti, Beuter. *de Jur. Prelation. P. 1. C. 18.* Carpzov. *P. 1. C. 28. def. 18.* qui in præjudicio adnexo id confirmat. Dolus enim hic dedit causam contractui bona fidei, *L. 5. ff. pro soc. L. 5. C. de Resc. vend.* Unde & fides hic pro non fide, & dominii translatio pro non facta, resque per fallaciam surrepta habetur, arg. *L. 3. ff. de Pignorat. action. L. 19. ff. de contrah. emt.* quare dominium penes venditorem recte hic mansisse censetur, adeo, ut etiam a tertio possessore, venditor res suas in ealem decoctorem alienans, vindicare possit, Carpz. *P. 1. C. 28. def. 19.* Lauterb. *diff. de Jure in curia Mercatorum usitato, th. 133.* Quo casu utique vigilantia haec, extra concursum motum suum consequendi, creditoribus iis, qui simul creditores & dominorum adhuc extantium sunt, venit commendanda, ne alias ceteris concurrentibus postponantur, nihilque accipient.

## §. XL

Ipsò autem concursu moto, posteaquam creditores ad liquandum & deducendum sua jura, sunt citati, omnino vigilandum est creditoribus, ne terminum præjudiciale in citatione ipsis præfixum decurrere contumaces patiantur; si quidem non comparentes, post illum amplius audiri non solent, ille enim terminus est peremptorius, sicut omnis probatorius & ad docendum de jure suo præfixus, *L. oratione. 7. ibid. Glos. & Dd. ff. de Feris.* qui semel elapsus, utique præjudicat; vigilantibus enim, non vero negligentibus, jura sunt scripta, *L. 16. ff. ex quib. caus. maj. L. Pupillus. 24. ff. Que in fraud. cred.* & sicuti negligentibus non subvenitur, ita multo minus illis contumacibus succurritur: Quamvis enim ob ignorantiam vel alia legalia impedimenta dari in integrum restitutionem creditoribus non comparentibus omnino sit æquum, *L. 1. ff. ex quib. caus. maj. cum etiam ex æquitate contra terminum probatorium isti restitutioni locus sit, L. 38. ff. de Minor. præstat nihilominus re integra venire; quam post vul-*

neratam causam remedium querere, L. f. C. in quib. cauf. restit.  
in integr. quamquam & in hoc concedendo judicis officium se  
promptum debeat exhibere, Carpz. Respons. Elector. 74. n. 14.  
libr. 3. & ex causa rationabili partibus id petentibus quovis  
modo succurrere, Marand. de ordin. judic. P. 5. Concl. 15. num. 3.  
Harprecht. P. 4. Consil. Tubing. 60. num. 269. seqq.

## §. XII.

Isthanc quoque vigilantiam creditoribus chirographariis  
in concursu suadendam puto, ut compensationem, si quam al-  
legare possint, allegent; nam compensatio in concursu, ab uno,  
licet chirographario, creditore, etiam in præjudicium ante-  
riorum, bene fieri potest, ita scilicet, ut, si v. g. Sempronius,  
simplex creditor Titii, multos hypothecarios credidores ha-  
bentis, eidem Titio ex alia causa ad certam pecuniaæ summam  
obligetur, ac postea, excitato concursu, illi hypothecarii cre-  
didores prætendant, ut a Sempronio, Titii debitore, illud de-  
bitum exigatur, sibique exinde sua credita solvantur; Sempro-  
nius vero se compensatione liberatum esse excipiat, isti hypo-  
thecarii hanc compensationis exceptionem in sui præjudicium  
omnino de jure admittere teneantur; id, quod in terminis,  
quod ajunt, terminantibus firmat Sigism. Scaccia tr. de Com-  
merc. f. 2. gloss. 5. num. 417. 224. seq. Joh. Dominici. Gait. tr. de  
Credit. c. 4. qv. 7. num. 355. seqq. Quamvis autem Ludov. Post.  
Resol. 21. num. 110. banc sententiam impugnare ideo videatur,  
quia ad compensationem voluntatem debitoris & factum ho-  
minis requirit, ut scilicet animus compensandi declaretur,  
L. 2. ff. L. ult. C. de Compensat. rectius tamen Scacciæ senten-  
tiæ alii sequuti affirmativam tuerentur ex eo, quod, licet com-  
pensatio ad hoc, ut judex illius rationem habere possit, alle-  
gari utique debeat, id quod scilicet traditur in d. L. 2. L. 6.  
L. 8. L. 10. & L. ult. f. 1. C. de Compensat. Bocer. cl. 4. D. 19.  
th. 84. lit. b. Carpzov. P. 1. C. 8. def. 6. n. 1. illa tamen nihilomi-  
nus ab ipsa lege sine ullo hominis facto inducatur, quampri-  
mautum mutuum debitum & creditum esse incipit, d. L. 4. L. 10.  
pr.

*pr. C. de Compensat. Tulden. in Cod. b. tit. num. 6. Lauterbach. Concl. Forens. Exerc. 29. Concl. 15. Quod & mihi hic verius & probabilius fuit visum.*

## S. XIII.

Ut ut pendente concursu creditorum solutio uni, nec ab ipso debitore, nec ab eius debitore, fieri possit, cum sub concursu omnia creditorum jura sint aequalia, *L. 6. §. 7. ff. Quae in fraud. credit.* & in hoc ipso nec inter partes, nec interdisparis, gratificationi locus sit, *L. 24. ff. eod.* atque præterea his respectu omnium creditorum censeatur communis, sub cuius pendentia nihil innovandum, *L. 1. & 2. C. Ut lit. pendent.* nihilosecius tamen quandoque commiseratio, favor aut privilegia creditorum, quandam solutionem pendente concursu faciendam permitunt contra jus commune ejusque regulas, conf. Brunnen. ad *L. 27. ff. de Inofficio. testam. in fin.* ubi quandoque pie causæ solutionem pendente concursu fieri posse tradit. Sed Mev. *P. 3. Dec. 141. n. 5. seqq.* modum praescribit, quomodo solutio hujusmodi fieri debeat, qui omnino servandus. Vigilant ergo sibi utique illi credores, etiam pendente concursu, de solutione, qui justas eam impetrandi causas habent, de quibus Brunnen. & Mevius *diff. loc.* Imo & huncce creditorem pendente concursu sibi in exigenda solutione vigilare posse censeo, cui debitor, antequam bona ejus possessa, nomen & pro eo pignus sibi traditum cessit, hac sub conditione, ut, si eidem non satisficeret, ipsi potestas esset a suo debitore creditum exigendi. Etsi enim pendente inter creditoris discussionis instantia a debitore nemini solvi, sed per prioritatis definitionem finis concursus expectari debeat, *L. 24. ff. Quae in fraud. credit.* utique tamen ea, quæ ante bona debitoris possessa facta sunt, nisi in fraudem creditorum fuerint suscepta, consistunt, *L. 6 §. 7. eod. tit.* Nihil autem aut parum differt, cui nomen sub tali pacto ac lege in securitatem traditum est, ab eo, cui nomen a debitore in solutum cessum fuit, antequam res ejus ad concursum devenerant; unde hic ipse creditor, pendente concursu ex nomine sibi tali pacto cesso satisfactionem querens, non amplius videtur sub concursu esse, cum eidem jam antea sit satisfactum. Quo ipso & hujus creditoris vigilantia, solutionem etiam pendente concursu exigendi, sicut licita, ita admnodum commendanda, Mev. *P. 5. Dec. 344.* Imo illa etiam vigilantia non silenda, qua credores anteriorum creditorum jura per solutionem ipsis illis anterioribus creditoribus faciendam in se transferre gestiunt, (quomodo hypothecarius secundus in prioris loco succedit per solutionem ipsi factam, *L. 22. C. de Pignor. L. 1. C. de his, qui in prior. cred. loc. succ.*) sibique speciali pacto & cessione jurium istorum, quæ priorum creditorum fuere, aliquando (h. e. si creditores sol-

ventes

Ventes sint simplices chirographarii, ) consulunt, de quo vid. L. 2. C. d. tit.  
Perez. ad eund. tit. n. 5. Mev. P. 4. D. 214. Quid? quod denique in con-  
cursu sibi vigilare possint creditores, quando distractione pignorum debi-  
toris suscepta sedulo attendunt, quibusnam rebus indigeant, & quas ob-  
jus prælationis ipsis competens præaliis nancisci valeant; liquidem creditoribus  
& cognatis simul praeter ceteris creditoribus concessionem tale prælationis jus  
est; sicut ipsis etiam creditoribus præaliis extraneis emitoribus illud datum,  
juxta elegans responsum Gajii in L. 16. ff. de Reb. aut. judic. poss. Verum  
enim vero, ne theses hasce inaugurales plus justo extendam, & mihi hic  
vigilandum; qui immortali Numini pro omnibus mihi præstitis beneficiis  
grates perso lovo maximas, Ejus futuræ vigilantiæ me meaque  
cepta porro devote comittens.

S. D. G.

**Q**uæ sint ingenii vires, pretiosaqua dona,  
Et quæ multijugo tribuat natura labori,  
Hæc TVA demonstrat præcellens pagina, MOGGI,  
Qua vigilat cautus debenti *Creditor* omni.  
Annuat inceptis Numen, faustequre reducat  
TE in patriam, Themidos capias ibi præmia digna!

Nobilissimo Domino Candidato, Fauto i suo certissimo,  
de felici Studiorum Academicorum catastrophe &  
præsenti Specimine Inaugurali animitus congratula-  
turus hecce adposuit

HENRICVS HILDEBRAND, D.

**U**t vellem celebrare Tuam per Carmina laudem,  
Sed minor est meritis nostra Thalia Tuis.  
Qui, invigilans Themidi, sequitur vestigia Patrie,  
In merito tandem præmia digna capit.  
Ende lubeat votum paucis annos tibi saltem:  
Gratulor ex animo, dulcis AMICE, Tibi.

Hisce versiculis, licet impolitis, Dn. DOCTORANDO,  
Commensali & Amico suo zetumatisimo applau-  
dere voluit, debuit

JOHANNES CHRISTOPHORVS STENGER,  
LL. Cult.







**ULB Halle**  
001 944 55X

3



S.6.





DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O JVRIDICA III.  
IN AVGVRALIS  
DE 1706 7. 21  
**VIGILANTIA**  
**CREDITORVM,**  
QVAM  
PRÆSIDE SOLO DEO,  
AVCTORITATE ET DECRETO  
INCLYTÆ  
FACVLTATIS JVRIDICÆ  
IN  
ALMA NORICORVM ALTDORFINA,  
**PRO LICENTIA**  
SVMMOS IN VTROQVE JVRE  
HONORES ET PRIVILEGIA DOCTO-  
RALIA LEGITIME ADSVMENDI,  
ad diem 10. Decembr. Anno M DCCVI.  
H. L. Q. C.  
PVBLICÆ ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SUBJICIT  
**MARTINVS GODOFREDVS**  
**MOGK,**  
Saxo-Gothanus.

Excudebat HENRICVS MEYER, Universitatis Typographus.

